

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0795

Sabato 30.11.2013

LETTERA DEL SANTO PADRE AL NUOVO INVIAUTO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DEL PRIMO CENTENARIO DELL'ISTITUZIONE DELLA PROVINCIA ECCLESIASTICA DI MANAGUA (MANAGUA, NICARAGUA, 2 DICEMBRE 2013)

LETTERA DEL SANTO PADRE AL NUOVO INVIAUTO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DEL PRIMO CENTENARIO DELL'ISTITUZIONE DELLA PROVINCIA ECCLESIASTICA DI MANAGUA (MANAGUA, NICARAGUA, 2 DICEMBRE 2013)

Atteso che il Card. Jorge Liberato Urosa Savino, Arcivescovo di Caracas, per motivi di salute non potrà recarsi in Nicaragua (come pubblicato il 5 ottobre scorso), il Santo Padre ha nominato il Card. Nicolás de Jesús López Rodríguez, Arcivescovo di Santo Domingo, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni di chiusura del primo centenario dell'istituzione della Provincia Ecclesiastica di Managua, in programma dopodomani, lunedì 2 dicembre.

La Missione Pontificia al seguito dell'Inviato Speciale rimane invariata.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Papa al nuovo Inviato Speciale, il Cardinale Nicolás de Jesús López Rodríguez, Arcivescovo di Santo Domingo, che sostituisce la precedente, indirizzata al Card. Jorge Liberato Urosa Savino, resa nota il 23 novembre scorso:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
NICOLAO DE IESU S.R.E. Cardinali LÓPEZ RODRÍGUEZ
Archiepiscopo Metropolitae Sancti Dominici

Metropolitana Ecclesia Managuensis quam Praedecessor Noster sanctus Pius X, illius regionis fidelium pastoralibus prospiciens necessitatibus, die II mensis Decembris anno MCMXIII Constitutione *Quum iuxta apostolicum effatum* condidit, grato animo centenariam celebrat institutionis memoriam. Dilecti istius ecclesialis communitatis fideles, Venerabili Fratre Leopoldo Josepho Brenes Solórzano, diligenti sacrorum Antistite moderante, hunc eventum recolentes, spiritale iter assidue prosequuntur Domini vocem studiose auscultantes. Multa revera adimplentur incepta, potissimum his postremis tribus annis pastoralis praeparationis, quae non solum hac in Metropolitana Ecclesia, sed etiam tota in Natione efficiuntur ut omnes Domini largitatem clare laudent atque incitamentum ad renovatam vitam experiantur sub Christi lumine assidue sequendam.

Memoratus Archiepiscopus Metropolita Managuensis humanissime rogavit ut aliquis eminens Vir mitteretur qui Summi Pontificis vices Managuae gereret Eiusque erga istum gregem dilectionem manifestaret. Ad Te autem, Venerabilis Frater Noster, qui Metropolitanam Ecclesiam Sancti Dominici prudenter moderaris, mentem nostram vertimus Teque hisce Litteris MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM nominamus ad conclusionem dictarum celebrationum, quae in urbe capite Nicaraguae die II proximi mensis Decembris sollemni modo perficietur.

Celebrationi praesidebis Eucharistiae in cathedrali aede Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis atque Archiepiscopum Metropolitam aliosque sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro salutabis nomine. Omnes adstantes sermone tuo ad assiduam Christi vitae imitationem cohortaberis. Optamus denique ut cuncti, insignem Metropolitanae Ecclesiae Managuensis historiam recolentes, novis viribus novoque studio peculiarem dilectionem erga Christi Ecclesiam et Evangelium demonstrent atque fidei alacritate in cotidiana vita emineant.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, intercedente sancto Pio X, in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem nostram Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIX mensis Novembris, anno MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

FRANCISCUS

[01794-07.01] [Testo originale: Latino]
